



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Responsa Moralia In Causis Justitiæ Commutativæ De Restitutione & Contractibus**

De Contractibus - Præcipuè ad commodum, atque usum Venerabilis Cleri  
edita

**Heislinger, Anton**

**Ingolstadij, 1726**

Casus XVI. De locato telonio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40177**

dist. ant. nullam mentionem ver-  
bis fecit, ita tamen, ut omnibus  
circumstantijs consideratis hæc in-  
tentio clarissimè potuerit colligi,  
concedo: ita ut hæc abfuerint:  
nego, ex eo, quòd praxator eme-  
rit tantam quantitatem in loco,  
ubi hordeum ferme unicè adhi-  
betur ad conficiendam cerevisiam,  
sufficenter constabat hæc intentio  
venditori, ita ut de hac dubitare

prudenter nequiverit. Denique  
huc quadrat, quod De la Croix  
lib. 3. part. 2. de contractibus ha-  
bet: scilicet in dubio præsumen-  
dum esse intentionem ementis ex  
communi usu aliorum hominum:  
atqui communis usus praxatorum  
aliorum est emere magnam quan-  
tatem hordei ad coquendam ce-  
revisiam ergo &c.

## CASUS XVI.

*De locato telonio.*

**T**ELonarius Principis telonium cum omnibus eidem à  
Principe annexis juribus; e. g. exercendi opificia  
lanionis, pistoris, vendendi carnes, panes &c. al-  
teri, Titio scilicet, locavit cum consensu principis  
erectoque desuper legitimo instrumento. Subinde Titius  
in gratiam aliorum pistorum à consilio aulico Principis pro-  
hibetur, ne jure suo coquendi panes utatur, magno suo dam-  
no.

Q. 1. An & qualiter validè revocetur concessum semel  
alicui privilegium.

Q. 2. Pro quali, oneroso, vel gratioso, hoc privile-  
gium pensendi panes sit habendum? & ex qua causa revoca-  
ri possit?

Q. 3. An Titius, ut reparet hoc damnum occulta com-  
pensatione ex telonio possit uti?

## SYNOPSIS.

1. Explicatur natura privilegij.
2. Alique species privilegiorum enumerantur.
3. Ex privilegijs aliqua conferunt solum potestatem ad aliquem usum,
4. Privilegium varijs modis amitti potest.

alia verò jus aliquod in privilegatum.

## §. I.

Resolvitur primum Quæsitum.

An & quomodo validè revocetur concessum semel alicui privilegium?

5. Cessat per legitimam revocationem superioris &c.
6. Privilegium onerosum subdito etiam concessum, non potest sine justa causa revocari.
7. Que est sola utilitas publica, & bonum commune.
8. Privilegium remuneratorium ex justa causa debet coincidi cum oneroso.
9. Ex gratitudine remuneratorium, si jus quoddam privilegiato contulerit, ob solum bonum publicum & communem utilitatem est revocabile.
10. Idem de privilegio, donatione concessum teneri debet.
11. Ablatum onerosum privilegium, etiam ex justa causa, est à Principe compensandum.
12. Privilegia merè gratiosa auferuntur validè sine urgente causa.
13. Privilegium non subdito concessum, sine justa causa est irrevocabile.
14. Que scilicet ad revocandam donationem sufficiat.
15. Eritque existentia talis cause ipsi principi probanda.

## §. II.

## Resolvitur secundum Quæsitum.

*Pro quali, oneroso, vel gratuito hoc privilegium sit habendum?  
& ex qua causa sit revocabile?*

- |   |   |
|---|---|
| 16. In hoc casu duplex contractus elocationis celebratus fuit.  | lonario assignata fuerit, excessu tamen adhuc habere potest rationem salarij. |
| 17. Quorum instrumenta in suo tenore consideranda.  |   |
| 18. Uti & quantitas pecunie loco salarij à principe solvenda.   | 21. Quenam causa revocando tunc privilegio sit sufficiens, examinatur.        |
| 19. Aut alijs antecessoribus telonarijs persoluta.  | 22. Quid de secundo instrumento gratiam Titij à principe erecto tenendum.     |
| 20. Licet autem antecessoribus minor merces, quam moderno telonario assignata fuerit, excessu tamen adhuc habere potest rationem salarij. |   |

## §. III.

## Resolvitur tertium Quæsitum.

*An Titius, ut damnum ex hac revocatione sibi illatum reparet, occulta compensatione è telonio uti possit.*

- |   |   |
|---|---|
| 23. Princeps telonium potuit locasse Telonario per modum almodiationis, aut tanquam officium.                                     | 27. Impedito usu rei locatæ conditor à solvenda pensione liberatur.         |
| 24. Etsi injustè Telonarius hoc jure spoliatus fuisset, ante compensationem occultam monendus tamen de tota re Serenissimus erit. | 28. Damnum hoc Titio ex bonis Telonarij locatoris reparandum.               |
| 25. Erit tamen ista in certis circumstantijs licita Telonario.  | 29. Cùm obligari nequeat, ut ipse Principem super hoc conveniat.            |
| 26. Ipse autem Titius ex pecunijs Principis compensationem facere non poterit.  | 30. In aliquo tamen casu ex telonio ipse Principis damnum reparare poterit. |

1 Sciendum primò, affirmante Palao in tract. 3. disp. 4. pu. 1. n. 1. à Doctoribus communiter definiri privilegium, quod sit privata lex aliquod speciale beneficium concedens. licèt autem lex esse dicatur, improprie tamen hoc nomen eidem competit, tum quia non semper instar legis est perpetuum, tum quia privilegiato nullam necessitatem utendi concessio imponit, vocari itaque lex solet, quia ceteros à privilegiato diversos obligat, ut privilegiatum ab usu illius non impediant.

2 Sciendum secundò: Etsi diversæ species privilegiorum reperiantur, pro solutione tamen nostri casûs plurimum conferre notitiam privilegij gratiosi, & remuneratorij: conventionalis, & puri. Remuneratorium est, quod alicui conceditur in præmium & satisfactionem meritorum ejus vel suorum parentum &c. gratiosum erit ex opposito, in quo ad talia merita nullus fuit respectus habitus, eò quòd ex libera Principis voluntate fuerit concessum, ut autem remuneratorium dicatur, necesse est, ut merita respiciantur tanquam merita & pretium, pro quibus, & in quorum satisfactionem & præmium privilegium concedatur,

Conventionale autem privilegium dicimus, quod ex conventionione & pacto conceditur purum ex opposito, & non conventionale, quod tali conventionione ac pacto destitutum est, quia autem nomine privilegij venit facultas alicui concessa extra id, quod à jure habet, quæ de se gratia est, ideo inferimus, etiam talem conventionem atque pactum gaudere nomine privilegij.

3 Sciendum tertio aliud privilegium consistere solum in potestate, ac delegata licentia ad aliquem usum contra vel præter legem: aliud verò transferre jus aliquod in privilegiatum. item potuit hoc privilegium alicui extraneo, vel suo subdito, à principe concessum fuisse.

4 Licèt autem diversis modis concessum semel privilegium amitti possit, ut si tempus, ad quod concessum erat, finitum fuerit: item quando privilegio inhærens conditio defuerit, vel si causa finalis, ob quam fuerat concessum, cessaverit, si eidem ipse privilegiatus renuntiaverit: morte privilegiati, vel concedentis privilegium, ad præsentis tamen casûs resolutionem unice servit notitia modi quo per revocationem finiatur privilegium.

## S. I.

## Resolvitur primum Quæsitum ?

An & quando validè revocetur concessum semel alicui privilegium?

**D**ico 1. Privilegium cessat per legitimam revocationem expressam vel tacitam concedentis, successoris, vel superioris ipsius concedentis, privilegiatio tamen intimata. ita habetur in c. 1. de const. in 6. c. 1. de Reg. Juris. Ratio est, privilegium totum quantum dependet à voluntate concedentis: ergo si hæc fuerit mutata, & cessaverit, etiam privilegium cessavit.

**D**ico 2. Si privilegium etiam subditio concessum per contractum onerosum fuerit, non poterit illud sine justa causa per superiorem revocari, ita Suarez l. 8. de LL. c. 37. n. 5. Sanchez l. 2. Disp. 33. n. 2. & 3. Laym, lib. 1. tract. 4. c. 23. n. 25. Bonac. Pontius, Palao. Prob. Princeps tenetur servare pacta cum subditis inita: ergo &c. Consequentia constat: privilegium etenim onerosum dicimus, quod sub contractu quodam oneroso concessum alteri fuit. Prob. itaque ant. ex tali pacto. Exoritur in utroque contrahentium obligatio justitiæ: Prob. 2. Si talis contractus onerosus contulit privilegium, tunc in pri-

villegiatum mediante hujus acceptatione translatum fuit aliquod jus: atqui nullus sine justa causa debet spoliari jure jam acquisito: ergo &c.

**D**ico 3. Causa sufficiens ad validam revocationem onerosi, & per contractum concessi privilegij, non potest esse alia, nisi communis boni, & publicæ utilitatis. Ita sentiunt Matienz, Gregorius Lopez, Sanchez lib. 2. disp. 33. n. 2. & 3. Suarez lib. 8. c. 37. n. 5. Salas disp. 17. sect. 14. n. 70. Bonac. disp. 1. q. 3. p. 8. S. 3. n. 2. Palao disp. 4. pu. 21. de LL. §. 2. n. 1. Prob. solum bonum commune, eò quòd præponendum sit privato, præbet Principi jus spoliandi subditos suo jure acquisito: ergo &c.

**D**ico 4. Privilegium remuneratorium ex justitia debitum, subdito concessum, & ab eo acceptatum concidit cum oneroso, hinc idem de eo, quod de oneroso tenendum.

**D**ico 5. Privilegium ex gratitudine solum remuneratorium, si jus quoddam in acceptantem privilegiatum transtulerit, non potest

test legitime auferri, nisi ob causam boni communis, & publicæ utilitatis, Ratio jam fuit insinuata, quia nullus privatus potest jure suo acquisito ex alia quadam ratione spoliari. Ita nobiscum sentiunt Suarez n. 6. Sanchez n. 4. Laym. n. 25, locis citatis.

10 Dico 6. Privilegium per contractum gratuitum, & merè lucrativum, seu donationem concessum, eodem modo, & ob eandem solas causas est revocabile, quo & ex quibus causis diximus revocabile duntaxat esse onerosum, ratio est eadem, quia jus aliquod privilegiato fuit acquisitum, quo sine exigentia boni communis spoliandus nemo est.

11 Dico 7. Si Princeps ex legitima causa privilegium ex oneroso contractu concessum privilegiato abstulerit, debitam compensationem privato privilegiato debet facere, si fieri hæc commodè poterit. Quoad revocationem privilegij onerosi omnes consentiunt: idem ab aliquibus asseritur de revocatione privilegij per donationem acquisiti, aut ex gratitudine remuneratorij, quia uterque privatur jure suo, quod videtur eidem compensandum: Dein privilegium ex gratitudine remuneratorium acceptans cedit largienti Principi sua merita: ergo, quando eidem auferretur privilegium, processione meritorum collatum, aliâ viâ erit illa cessio meritorum compensanda.

Dico 8. Privilegia merè gratiosa, & nullius respectu meriti concessa, etiam sine urgente causa valide auferri poterunt. Ita communis cum Laym. lib. 1. tract. 4. c. 23. n. 25. Prob. jus ex tali privilegio acquisitum non transit in dominium subditi privilegiati: ergo semper à voluntate Principis pendet, quia autem sine urgente causa revocare concessum semel alteri favorem inconstantiam, nec non levitatem quandam animi arguit: insuper beneficium deberet esse perpetuum, hinc sine omni justa causa illud revocare, veniale peccatum habebitur.

Dico 9. Privilegium non subdito concessum, nisi ex justa causa, revocari non potest; ita Abbas in cap. novit 13. de judic. n. 23. Laym. lib. 1. tract. 4. c. 23. n. 24. Palao tract. 3. disp. 4. p. 21. §. 1. n. 2. Probat: tale privilegium per acceptationem transijt in pactum, seu contractum: ergo per illud non subditus acquisit jus quoddam propriè dictum: atqui jure acquisito nemo non subditus est à Principe privandus. ergo &c.

Dico 10. Causam justam talis revocationis illam solam futuram, quæ requiritur ad hoc, ut perfecta donatio revocari possit. Ita cum communi Antonius Gabriel, Matienz, Palao n. 4. §. 1. pu. 21. disp. 4. de LL. Prob. alterius regni subditus non potest à Rege non suo privari suis bonis; ergo neque

Ee

que

que privilegio, quod jus tali non subdito contulit: consequenter si non adsit ratio, irritam, vel revocabilem donationem reddens, non poterit tale privilegium non subdito auferri.

25 Dico II. Ut Princeps privilegium absque legitima causa irrevocabile, actu validè revocet, probandum eidem erit, hanc legitimam causam actu subsistere. Ita Bartolus in legem: si forte per illum textum ff. de castrensi pecunia:

§ in leg. si donatione Cod. de collationib. Ripa lib. 2. Resp. tit. de rescript. cap. 19. n. 19. Palao n. 5. Prob. si hac probatio non foret necessaria, facillimè posset Princeps alios spoliare jure suo proprio: Prob. 2. quodcumque aliquid ex quadam causa est permissum, & hac deficiente prohibitum, probanda erit, & non solum alleganda ejusmodi causa existentia: ergo &c.

## §. II.

## Resolvitur secundum Quæsitum.

*Pro quali, oneroso vel gratuito, habendum sit hoc privilegium Telonarum, & ex qua causa illud revocari possit?*

26 CUM in hoc casu duplex elocatio celebrata fuerit, una, quam fecerat Princeps suo Telonario, altera, quam Telonarius celebravit cum Titio tanquam suo substituto; hinc potuit contingere, ut instrumento super elocatione Telonario facta jam fuerit insertum privilegium coquendi panes, aut, ut tantum adjectum fuerit instrumento, quod super posteriore elocatione cum Titio erectum ex consensu Principis fuerat: examinamus itaque primò, num rationem privilegij onerosi habeat, si primæ locationi à Principe factæ Telonario fuerit insertum.

Hoc itaque instrumentum ante omnia inspiciendum erit, & tenor verborum expendendus, num scilicet hoc privilegium expressè ut merus, & gratuitus favor reliquo congruo salario superaddatur; vel utrum tanquam pars quædam mercedem adæquatam constituat. Hoc postertus præsumendum, si certa merces pecuniaria, & facultas coquendi panem, ut aliquod totum per modum unius exprimantur tanquam promissa pro administratione Telonij merces.

Eritque hoc edò magis præsumendum, quo minor est pecunia,



nia, quæ loco salarij decreta Telonario fuerat; videtur enim tunc defectus pecuniæ his duabus facultatibus vendendi scilicet carnes & panes compensatus, consequenter hoc privilegium sub contractu oneroso concessum.

19 Idem iudicium ferendum, si antecessores Telonarij habuerint assignatam pro suo labore majorem pecuniæ summam, sine his tamen duabus facultatibus; hæ enim præsentî Telonario concessa suppleant defectum concessi prioribus in pecunijs assignati salarij.

20 Quodsi antecessoribus Telonarijs pro salario æqualis summa pecuniæ sine his duobus privilegijs assignata fuerit, necdum tamen clarè infertur, privilegia ista fuisse merè gratuita, & liberaliter concessa, nisi expressis verbis fuerit indicatum, eadem instar puri gratuiti, ac liberalis favoris Telonario concedi: ratio est, quòd in talibus instrumentis communiter, & ordinariè exprimentur solummodo illa, quæ rationem veræ mercedis habent, & vi contractus cum officiali inhi debentur. Quod confirmatur: assignata pecuniæ taxa Telonario à Principe perfolvenda, non habet rationem alicujus privilegij merè liberalis & gratuiti: ergo neque facultas coquendi panem: prob. cons. omnia eodem modo exprimentur in Principis instrumento, & non est ratio, quare hæc facultas potius habeat rationem pri-

vilegij liberalis, quàm assignata taxa pecuniæ: ergo de utroque erit æqualiter discurrendum. Aliàs possem æquo jure dicere, pecuniam taxatam habere rationem privilegij liberalis, facultatem autem coquendi panem rationem privilegij onerosi.

Dein ob majora merita, vel meliorem capacitatem, vel etiam ex mera liberalitate potuit Princeps respectu hujus Telonarij auxisse salarium, & augmentum aliquod per modum doni, aut remunerationis debitæ adjecisse: item cum salaria patiantur latitudinem, hinc salarium minus antecessoribus assignatum potuit esse infimum, moderno autem Telonario constitutum haberi pro summo: ergo ex eo, quod antecessores Telonarij tantum salarium non habuerint, minimè infertur, prædictas facultates esse merè gratuitas ac liberales.

Denique sicuti leges, quando in illis suam mentem clariùs explicare Legislatores potuissent, clarè tamen non explicavit; contra Legislatorem sunt explicandæ, ita etiam decretum, vel instrumentum determinans salarium officiali ex contractu, erit contra Principem explicandum, si hic clariùs potuisset, non tamen explicavit suam circa illud mentem: præsertim, si nec Principi, nec communitati præjudicet.

Ex his satisfacimus alteri §. hujus Quæstio: quanam sit causa  
Ec 2 ad

ad hujus revocationem sufficiens. Si enim appareat hoc privilegium esse purè gratuitum, ac merè liberale, juxta dicta etiam sine causa validè revocari potuit, & quidem etiam licitè quia videtur præjudicare pistoribus.

Si autem fuerit onerosum, & ex contractu curandi telonium, non adfuit sufficiens causa spoliandi hoc privilegio telonarium. hoc enim supposito verum aliquod jus coquendi panes accepit telonarius, quo juxta dicta ordinariè subditus spoliari nequit, nisi bonum communitatis & publica utilitas id exigant, pro qua non habendum est majus lucrum pistorum: hoc enim jam antea fuerat perspectum principi. Dein principis parùm interest, utrum ditiores aliquantulum sint pistorum, vel officiales sui: ergo si istis prævisis tamen facultatem ut partem mercedis concesserat, ob hæc non poterit telonario concessum sub hoc onere auferri privilegium pinse-  
di panes.

Erit tamen in hoc casu bene perpendendum pactum istud, vi cuius utraque facultas cum certa pecuniæ summa telonario à principe pro labore constituta est, cum illo tanquam cum suo famulo fuisse initum, atque in locum mercedis prædicta etiam privilegia cum certis pecunijs eidem assignata, & constituta fuisse. ex quo inferimus, non majus atque firmitus jus ad hæc illi competere, quam

cæteris famulis ad sibi constitutam mercedem: in quantum itaque, & ex quibus causis Domini mutare ac minuere constitutum semel salarium possunt, in tantum, & ex iisdem causis etiam princeps constitutam semel telonario mercedem diminuere poterit. certum tamen est omnibus, cum salarium latitudinem patiat, ex omnibus infimum persolvendum famulis esse.

Prudentum igitur iudicio perpendis omnibus circumstantijs erit statuendum, num in hoc jus telonarij læsum fuerit, longè certius autem hæc revocatio injusta, invalida, & hinc compenlanda à Principe erit, si administratio telonij pro certa pensione annua Principi solvenda, telonario per modum admodiationis concessa fuerit, quia tunc verum pactum diversum ab eo, quod cum famulis contrahimus, fuit initum principem non minus, quam telonarium obligans.

Quæ modo de instrumento, quod Princeps super collatione hujus telonij facta telonario confici curaverat, disputavimus, proportionaliter observanda erunt circa instrumentum, quod ex ejusdem principis consensu erectum postea fuit, quando telonarius administrationem telonij elocaverat Titio, si enim istud cum præterito instrumento correspondet, suam assignationem mercedis debitæ de novo confirmare Princeps voluit.

Sed

Sed quid tenendum, si facultates istæ non fuerint expressæ in instrumento principali concedente officium telonij telonario, postea verò in locationis hujus instrumento primùm novo conductori Titio concessæ? Repono, eadem principia circa hoc posterius observanda, quæ circa prius & fundamentale diximus consideranda. Videndum scilicet, an iste admodiator telonarius facultatem coquendi panem (quod est probabilissimum) concesserit tan-

quam partem totius elocati, & ratione hujus majorem pensionem à Titio conductore suo expectaverit, quo supposito non erit merus favor, sed jus quoddam pretio comparatum. Neque Titio substituto laborandum erit, ut dispiciat, num validè aut invalidè coctio panis eidem sit inhibita: cum enim à telonario non autem à Principe locationem Telonij acceperit, ad telonarium habet suum regressum.

## §. III.

## Resolvitur tertium Quæsitum.

*An Titius, ut damnum ex hac revocatione sibi illatum repararet, occulta compensatione ex Telonio sui possit?*

23 **P** Rinceps potuit telonium elocasse suo telonario hac ratione, ut omnes pecuniæ vi telonarij collectæ ipsi principi sint reddendæ; pro labore autem telonario assignata sit certa quantitas pecuniæ una cum prædictis facultatibus. Secundò aliter, ut scilicet omnes reditus è telonio colligendi sint ipsius telonarij; hic autem certam quantitatem pecuniæ annuatim solvere cogatur Serenissimo, qui contractus vulgò vocatur admodiatio, quia igitur ex dictis supponimus, etiam telonario privilegium coquendi panes

fuisse concessum, movetur prima quæstio an hic possit tacita compensatione uti, si per seipsum administraret telonium?

Ad hoc reponimus, etsi privilegium hoc onerosum & sine sufficienti causa ablatum supponamus, nequaquam tamen statim occultæ compensationi locum fore ex pecunijs ad principem spectantibus faciendæ, nam inter plures, quæ ad hujus licentiam requiruntur conditiones non minima esse solet, ut nullo alio modo debitum à debitore obtineri nequeat, nisi cum magna difficultate.

Ee 3

220

te, expensis, litibus, molestiis, gratiæ ac necessariæ amicitia jactura. Nemo enim potest propria auctoritate spoliare debitorem possessorem suis rebus: ergo antea debentur adhiberi alia media: & in hoc casu admonendus antea vel maximè videtur Princeps de sublata facultate coquendi panes per suos consiliarios aulicos, qui forsitan ignaro & positivè invito Principe corrupti à pistoriis hæc omnia attentarunt.

25 Si autem tales sint circumstantiæ, ut Princeps conveniri nequeat, vel conventus compensare nolit ablationem hujus partialis salarii, nostro judicio compensatio à Principis pecunijs fieri poterit, si ex inspectione instrumenti primi constet hoc privilegium fuisse onerosum, & mediante admodiatione concessum. Quid si autem pactum, cum famulis iniri solitum, fuerit, & injustè diminutum salarii fuisse certò constet, eandem compensationem in talibus circumstantijs licitam judicamus.

26 Si à Telonario ad Titium conductorem substitutum transeamus, cui sub certa pensione annua Telonium subelocatum supponimus, judicamus eundem nequaquam posse compensationem facere ex pecunijs Principis. Ratio est, Titius non contraxit, vel conduxit Telonium à Principe, sed immediatè contraxit cum Telonario, licet cum consensu Principis: ergo si Titius ex locatione læditur, Te-

lonarius, non autem Princeps, immediatè debet illatum damnum conductori reparare, atqui læditur, quod probatur.

In contractu locationis, si quoddam impedimentum ex parte rei locatæ incidat, quo minus conductor hac uti ac frui possit, prout in nostro casu ex parte locatæ facultatis coquendi panes evenit, liberatur conductor à solvenda pensione vel totaliter, si totalis rei conductæ usus impediatur: vel pro rata diminuti usûs, prout defendunt. Navarrus c. 17. n. 187. Gomez n. 3. Molina Disp. 491. Lessius cap. 24. dub. 2. Covarruv. in pract. qq. quest. 30. n. 3. Laym. de pactis cap. 22. n. 3. atqui in nostro casu jus coquendi panes fuit sub certo pretio elocatum Titio & ex prohibitione consiliariorum impeditum, vel omnino sublaturum ergo à pensionis taxa huic juri correspondente liberatus erit Titius, consequenter læditur, si totam pensionem adhuc debeat Telonario persolvere. Conf. si mihi aliquis tria jugera agri elocasset sub certo pretio annuo, illorum autem unum à præterfluente fluvio fuisset abreptum, non possem obligari, ut persolverem totum pretium, de quo antea pro conductioe trium jugerum conveneramus.

Hinc clarum est, compensationem damni Titio modò eventitæ, à Telonario petendam, & ex illius bonis, si aliter obtineri à Ti-

à Titio nequeat, occultè compensandam esse, itaque si ponamus pecunias è Telonio collectas spectare ad dominium Telonarij, ex hoc utique compensationem occultam sibi facere poterit, si circumstantiæ, ad licentiam hujus communiter requisitæ, dentur.

29 Neque judicamus, Titium conductorem substitutum obligatum esse, ut ipse hanc suam causam cum Principe immediatè agat, ed quòd, prout diximus, non cum isto, sed cum Telonario contraxerat, quod confirmatur. si res aliena bona fide elocata, postea evicta fuerit, debet locator petere à Domino rei, ut conductorem eadem re sub eadem pensione uti ac frui permittat: si iste nolit, locator conductori aliam rem non minus utilem & commodam prestare debet, si possit, vel de pensione cogetur aliquid remittere: ergo cum simile quid in nostro casu eveniat, idem etiam hic erit observandum ant. constat *ex lege si quis domum. junda lege:*

si fundus ff. locati conducti & defenditur à Laym. lib. 3. de just. tract. 4. cap. 22. n. 3.

Unum adhuc subjungimus, posse scilicet Titium etiam ex pecunijs Telonij ad Principem spectantibus sibi occultam compensationem, & quidem immediatè facere, casu quo Princeps potestatem coquendi panes etiam suo Telonario sub determinata pensione annua per admodiationem concesserit & postea etiam admonitus: de ablatione hujus onerosi privilegij defectum hujus nulla alia ratione compensare nollit, neque de promissa pensione aliquid remittere: in hoc enim casu ipse Telonarius posset sibi compensationem facere ex pecunijs Principis. ergo etiam suo substituto Titio potest dare facultatem, ut loco, & nomine suo hanc compensationem faciat, quod enim quis potest per se, etiam potest per alium, tanquam per suum instrumentum.